

Grave liberè descendens ab alto uniformiter difformiter cadit, equalibus momentis inæqualia spatia conficiens: Et primò quidem momento, spatium primum Et unum; secundo momento spatia tria, quæ simul cum primo faciunt bis bina seu quatuor; tertio momento spatia quinque, quæ cum prioribus 4. faciunt ter tria, hoc est, 9; quarto momento spatia 7. (per numeros impares ordine se insequentes discreta spatia ordine sequentia definiendo) quæ, cum prioribus novem, faciunt quater quatuor, h. e. 16; ubique scilicet quadratâ ratione tot spatia, quæ primo sint æqualia, simul superando, seu post se relinquendo, quot momenta primo æqualia præterlapsa sunt. Et hoc est, quod breviter dicitur: *Incrementum velocitatis gravium descendantium fieri secundum progressionem numerorum imparium: item spatia confecta esse, ut quadrata temporum.* Cujus theorematis etiam supra mentionem feci.

Jam cum globus Penduli, tanquam grave corpus, tendat deorsum, sive in circumferentia A B C D E feratur, sive in semidiametro, seu perpendiculari P T S R E, quantum ad hanc motus directionem, perinde est: nam, licet in circumferentiâ feratur, descensus tamen quatenus talis mensuram capit à perpendiculo, quod eandem cum tractu descensûs, quatenus tali, directionem habet: Quatenus autem in transversum movetur, nempe versus